

III.

AD R. P. D. CAELESTINUM ENDRICI, EPISCOPUM TRIDENTINUM, GRATULANDI CAUSA.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod Nobis proxime per litteras renuntiasti, in tua dioecesi ob saecularem memoriam Edicti Constantiniani, quo primum Ecclesiae licuit pace et libertate publice frui, sollemnes ac celebres caerimonias esse habitas, plurimosque ad sacram Synaxim accessisse, ut a Iesu Deo et plenam libertatis copiam Ecclesiae matri et incolumitatem Nobis precarentur, fuit sane periucundum; ac libenter agnovimus tuorum maximeque tuam in Nos pietatem et fidem. Quare gratias tibi, venerabilis Frater, et clero populoque tuo agimus ex animo; simul autem, quod tribuistis Nobis officium remunerantes, apostolicam benedictionem, auspicem divinorum munera, amantissime vobis impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die III mensis iulii **MCMXIII**, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. X.

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS).

DECRETUM

INDULGENTIA IAM CONCESSA FIDELIBUS SE INVICEM SALUTANTIBUS PER INVOCATIONEM NOMINIS IESU, ETIAM MARIAE ADIECTO NOMINE, MANET.

Sunt quos amor pius erga Beatissimam inter virgines sic delectat, ut Iesum nunquam commemorare queant, nisi gloriose comitante nomine Matris suae, corredemptricis nostrae, beatae Mariae. Laudabilis haec consuetudo ad illam extenditur invocationem, seu christianam salutationem, circa quam Decretum supremæ H. S. Congregationis, die 27 martii 1913, datum est. Evidem, pluribus in locis salutantur christicolae his verbis: *Laudetur Iesus et Maria - Hodie et semper.* Ne pereant forte, quae pro

sola datae sunt Iesu nominis invocatione Indulgentiae, istiusmodi in adiunctis, apud Ssmum D. N. D. Pium div. prov. Pp. X, die 26 mensis iunii 1913, in audience R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, suppli- catum est, ut benigne concedere dignaretur, invicem salutantes sub invo- catione et laude ss. nominum Iesu et Mariae easdem lucrifacere indul- gentias, quas ss. nomen iesu tantum laudantes. Sanctitas vero sua, has preces perlibenter suscipiens, et gratiam extensionis concessit, et pree- sens Decretum expediri iussit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. CARD. RAMPOLLA.

L. fB S.

f D. Archiep. Seleucien., Ads. S. O.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

TITULI ARCHIEPISCOPALIS COLLATIO.

Ssmus Dominus noster Pius PP. X, decreto sacrae Congregationis Consistorialis diei 1 augusti 1913, archiepiscopalem titulum Antiochiae de Pisidia, retentis tamen Nanceiensi sede eiusque ac ecclesiae Tullensis titulo, Rmo D. Carolo Francisco Turinaz, amplioris honoris causa, per- sonaliter contulit et addidit.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

MONITUM.

S. Congregatio Concilii notum facit presbyteros Idolandum Sarzana et Hostilium Garbini e dioecesi Viterbiensi non habere facultatem colli- gendi eleemosynas pro Missis celebrandis.